

DIALOGUS XVI.

De Jano, Deorum, Annique Jani-
tore.

TULLIUS.

I. **S**pectasti hætenus prope in 50. Numis vasa sacra, Sacerdotum Ordines, genera sacrificiorum, Altarium, Templorumque formam: tempus demum est, ut omni pompa sacra jam instructa, Deos ipsos, Deasque in Delubra sua immigrare conspicias. Agedum itaque, lectissime Publi, eo te habitu compara, qui Numina decet. *PUBL.* Quo præceptore hoc discam? Sed nil opus est. Quæcunque Superiorum, Mediorum, Inferorum turba coram nobis transibit, in me non ulciscetur, quamvis lingua non faveam, salibusque subinde profanis admurmuravero. Oculos enim habent, quibus non vident, & aures, quibus non audiunt.

II. *TULL.* A Jano exordium ducamus; qui, cum primum in Italia Templum struxisset, cultumque Deorum docuisse confectus fuerit, omnibus in sacrificiis primus invocatus est, tanquam qui aditum ad omnes cæteros Deos hominibus precantibus faceret. Sic ludebat Ovidius:

Falior. I.
v. 171.

- - Cur, quamvis aliorum Numina placem,
Jane, tibi primo thura, merumque fero?
Ut possis aditum per me, qui Limina servo,
Ad quoscunque voles (inquit) habere Deos.

PUBL. Pinxisti mihi in Exercit. Procem. Tab. VI. n. 1.
areum ex meis Numum cum fronte bicipiti, per occiput sibi
op-

opposita, & in Aversa cum parte Navis : docuisti deinde Dial. XX. n. I. sqq. hac forma omnium fere primos Romæ Numos, etiam pondere librari, fuisse signatos : Capite porro uno *Janum* referri, altero *Saturnum* juxta quosdam, qui ad illum accesserat, eique signandi æris artem, cum aliis multis præceptis regiminis optimi suggessit. Similis antefato Numo est hoc loco Tabulæ tuæ III. Numus decimus tertius : in quo pariter vultum geminum barbatum sibi oppositum intueor, intermedia superius rudi litera I. tanquam solita assis ærei nota. Bifrons hic *Janus* unde natus tibi videtur ?

TAB. III
N. XIII.

TULL. Nolim injungas mihi, ut vel hujus, vel alterius cujuscunque fabularii Numinis incunabula, aliis aliisque deliriis apud antiquos Nugatores, etiam dum sagacissime ratiocinari vellent, involuta, tecum hic multis vestigem : cum ita secum pugnent, ut, cui rectius assentiaris, nulla ratione dispicias. Male collocati temporis detrimentum potius, quam commodum ullum sobriæ eruditionis inde capefferes. Unum pro omnibus tene, sic esse cum Diis universis, quotquot ex hominibus facti sunt, ut Patrem habuisse Deum consingantur, juxta illud arguti Poëtæ Galli :

III.

Frustra adeo his auctor Generis Deus esse negatur :
Nam si non fuerit, debuit esse Pater.

Qui se optime finxisse crediderunt, *Janum*, regionem, & Regnum sibi quasitum, Jonico mari ex Græcia in Italiam navigasse dixerant, & in colle, qui postea *Janiculus* dictus, confidentem, circumfuso barbaro populo religionis, morumque civilium cultum, Græcorum exemplo, persuasisse. Cum primis autem docuisset, ut omissis grassationibus, ac prædationibus mutuis, quisque sua se domo, foribus clausa, una cum familia contineret. Quo factum, ut sua cuilibet abinde tuta essent : & vitæ socialis jucunditas, atque commoditas, plurimos etiam externos in communionem pacis tranquillitatis alliceret. Hæc ideo commentum sunt, quamvis & sic re ipsa forsitan accidisse non repugnaret, ut duplicis in eo capitis rationem a Prudentia repeterent, qua

IV.

novam Rempublicam instituit. Item ut Clavis pariter, cum qua plerumque tanquam Janitor pingebatur, ob inventas videlicet ædes clausus, colorem saltem historicum, & moralem obtenderent.

V. Certum vero est, voces *Janus* & *Annus*, *Juno* item & *Luna*, nec non *Diana*, licet pronunciatione sint variæ, eadem esse ethymologia. Nam *Janus* quid erat, nisi *Janitor*, & initium *Anni*? Deinde *Juno*, *Luna*, *Diana*, unico nomine *Trivia*, vel *Hecate*, quid fuerunt, nisi novæ lunæ cujuslibet Mensis, quibus *Annus* decurrit? Inde, juxta *Macrobius*, inter cætera Nomina, *Janus* etiam dicebatur *Junonius*, quia in ditione *Junonis* sunt omnes *Kalendæ*. Juxta *Varronem*, Præses erat quatuor *Anni* temporum. *Plinio* teste, *Janus* geminus a *Numa Rege* dicatus est, qui *Pacis*, „ *Bellique* argumento colitur, digitis (per quos numerabant Romanis) ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta dierum nota, per significationem *Anni*, *Temporis* & *Aevi*, se Deum indicaret. „ Mensium causa in ejus *Templo* duodecim *Aris* immolabatur. Cæterum *Arcus*, ac *fornices*, per quos transire licuit: item *limina* *Ædium* omnium, Romanis *Jani* dicebantur. Et quoniam ejus *Templum* versus omnes *Orbis* partes ostium habebat, nomen tulit *Jani quadrifrontis*.

VI. Nesciebant vero, juxta mentem perspicacissimi Domini *Pluche*, cui nunc frequentius cedam sermonem, quid colerent, qui *Janum*, ut Regem prudentia inclitum, ut *Anni* præsidem, ut *Janitorem* venerabantur. *Aegyptiorum*, ait, antiquior longe, & sanior *Philosophia* fuit. Nili affluentis, & inundantis observatio princeps apud eos prudentiæ caput erat: quoniam ex hac tam securitas eorum, ne subitis, & improvisis undis mergerentur, quam terræ suæ ubertas pendebat, ut commodo tempore serebant. Index iisdem certissima, longa demum observatione instructis, evaserat *Stella canicularis*: quæ, dum exoriebatur, præsignabat, proxime fore, ut *Sol* ingrederetur *Signum Leonis*, illeque *Mensis* adesset, quo *Nilus* afflueret. Hujus admonitionis causa, *Stellam* hanc lingua *hebraea* *Thot*, sive *Thaut* appellarunt, i. e. *Canem*: *Aegyptiaca* *Anubim*, seu *monitorem*; *Phoenicia* *Hanoabrach*, vel *Allatratores*, per analogiam cum *Canem domestico*. „ Eapropter etiam *Aegyptiis* (uti *Prophyrius* docuit)

Saturnal.
L. I. c. 9.
Rer.
Rom. L.
V.
L.
XXXIV.
cap. 16.

VI.
Histor.
Cæli L. I.
c. II. §.
25.

De Nym-
phar. an.
tro.

„ cuit) principium Anni non *Aquarius* erat (i. e. *Januarius*)
 „ ut apud Romanos , sed *Cancer* (nempe *Junius*) *Thot* appel-
 „ latus. Nam prope *Cancrum* est *Sothis* , quam Græci *Sidus*
 „ *Canis* dicunt : Neomenia autem est ipsius *Sothidis* ortus , quæ
 „ Generationis Mundi ducit initium. Primum id *Sibor* appella-
 „ batur , i. e. *Sivus* , a summo calore æstivo , quem Sol in Leo-
 „ ne spargere consuevit. „

PUBL. Haec quid ad *Janum* ? *TULL.* Audi statim. Dum VII.
 populo nunciandum fuit, apparuisse hoc Sidus, ut rebus quilibet
 suis prospiceret, neque literæ tum essent inventæ, quibus hoc
 Nomen *Thout* in tabula describere liceret : imagine opus erat.
 Quali vero ? Stella depicta Canicularem profecto ab alia neutri-
 quam distinxisset. Hominis itaque imago rudissimis quidem li-
 neis expressa est, caput caninum referentis : dabatur eidem le-
 bes deportandus, proxime venturi Nili planissimus index : pe-
 dibus alæ affigebantur, fugæ ad montana capiendæ unumquem-
 que admonentes. Non erat hic idolum, sed merus character
 Oeconomicus. Ut porro *Populus* pariter commoneretur, cum
 Stellæ *Canicularis* exortu vertere annum, & nova & proinde Neo-
 menia, more certe jam ante diluviano, celebranda esse, *Thout*
Aegyptius prædictus altera adhuc imagine proponebatur, ut *Vir*,
 gemino vultu ante retroque prospiciens : in cuius *Zona Zo-*
diaci Signa descripta erant : dextra gestabat instrumentum quod-
 dam, clavi non absimile figura sua, nobis quidem incognitum,
 populo autem tunc undique notum. Pingebantur hæ imagines
 lapsu temporum longe ornatus, ast innocenti semper sensu,
 nihilque in veram religionem peccante.

Postquam vero inventæ sunt Literæ, populique instructio VIII.
 scriptis tabulis dabatur : hæ Icones vim docendi amiserunt. Re-
 tectæ sunt attamen : sed neglectæ, & ignorata causa, propter quam
 factæ fuerant, eam demum parere cœperunt opinionem, quasi
Thaut aliquando *Aegyptius* Rex, authorque, & præceptor fuisset
 earum salubrium observationum, de quibus olim figuræ istæ,
 de populi necessitate sola similitudine admonebant. Evaferunt
 igitur idola : & postea delatæ ad *Phœnicios*, ad *Syros*, ad Græ-
 cos, elegantius ubique, rejecto capite canino, refictæ, *Janum*,
 Anni Janitorem, *Clavigerum*, Præsidem temporum, *Deorum* Ostia-

rium pepererunt. Qui etiam non jam Rex Aegyptius habebatur : sed eidem nunc Deus *Cælus*, nunc *Uranus*, nunc *Apollo*, qui tamen omnes unum *Solem*, *Anni Mensorem*, denotant, in *Patrem* quærebatur.

- IX. *PUBL.* Novum, gratumque mihi ex Domino *Pluche* dixisti, & ut ego quidem sapio, tam planum, ac facile, in quod *Ratio*, veterum deliriis non undique præoccupata, libenter consentiat. Memini vero, esse, qui sub *Jano* latere *Noëmum*, utriusque Orbis, ante- ac post- diluviani *Spectatorem*, sibi persuadeant. *TULL.* Ego plus aliquid tibi pando. Noveris, traditam *Thesalia* gravissimam inundationem, sub *Deucalione* Rege factam: quam *Poëta* finxerunt a *Jove*, nimis hominum criminibus indignato, immissam esse, cum omnium incolarum submersione, solo Rege, ejusque conjugè *Pyrrha*, ob innocentiam vitæ, in monte *Parnasso* servatis. Qui postea, *Oraculi* monitu, *Ossa* suæ *Matris*, nempe lapides *Terræ*, post se jaciendo velatis vultibus, novos homines, masculos ac fœminas, produxerint. Huic fabulæ *Noëmiticum* diluvium argumento fuisse facile credas. Doctissimi namque *Viri* gravibus testimoniis asseruerunt, ejusdem famam, atque memoriam, apud plurimas Orbis *Gentes* idololatræ viguisse, festis etiam publicis cultam. Testes cumprimis advocantur *Numi Apamea*, aut quæ in *Syria*, aut verius forte, quæ in *Phrygia* erat, *Septimii Severi*, *Macrini*, *Philippi Senioris* *Impp.* honoribus cusi.

- X. Unus horum exstat in *Electis Rei Numar.* Tab. I. n. 5. Alterum edidit *Cl. P. Frelichius* in *Appendicula* noviss. Tab. II. n. 66. In utriusque *Aversa* est *Arca* quadrata, & aperta, aquis quodammodo innatans, cui aliquando etiam *inscriptum* videtur: *ΝΟΗ, i. e. Noë.* Intra eam videntur *Vir*, & *Mulier*: desuper *Corvus* confidens, & *columbula* cum *ramusculo* frondente. Ante *arcam* rursus stant *Vir*, *Mulierque*, *dextris* elatis, quasi post se quidquam projicerent. Infra legitur: *ΑΠΑΜΕΩΝ.* *Varia* quidem sunt, quæ circa hos *Numos* disputant eruditi: vix ullus tamen eorum, si *Cl. Harduinum*, libenter singularem excipias, negat, *Noëmiticum* *Diluvium*, *Deucateonea* fabula mixtum, hic figurari. Quod vero ut sit, nostram in rem præsentem nihil confert,
ubi

ubi quæsteras, utrum sub *Jano* lateat *Noëmus*. Hoc namque his ex Numis neutiquam fluit.

PUBL. Quem pinxisti, Numus decimus quartus, Janum trifrontem sistit, cum hasta adstantem. Pone: S. C. circum COS. ul. III. tium. *TULL.* *Hadriani* est hic Numus aris medii in *Ekct. R. N. Tab. I. n. 2.* Eum *D. Bose* ibidem sane multis accommodare studet *Hadriano*. Cum primis porro, quod, sicut interpretatione *Ciceronis* nomen *Janus* venit ab *Eanus*, i. e. eundo, ob Anni perpetuum cursum, sic & *Hadrianus* omne fere Imperii sui tempus, obeundo Provincias, & omnibus benefaciendo, infumserit. Alios, ait, in hoc Numo non *Janum*, sed *Geryonem* agnoscere, trium Hispaniæ Insularum, Majoricæ, Minoricæ & Juicæ Regem, barbarum admodum atque crudelem: quem *Hercules* bello subigens, ejusdem spolia *Gades* detulit, *Gaditanus* inde appellatus. Qualis cum pariter prædicatus fuerit *Hadrianus* alio in Numo, putant, in hoc præsentè *Geryonem* ei oblatum fuisse.

Videtur autem potius, *Janum* hic adstare, non vero *Trifrontem*, sed *Quadrifrontem*, quarto capite, retro posito, non apparente. Hujusmodi enim imagines exstare adhuc Romæ dicuntur: præterquam, quod supra audieris, *Jani* Templum quatuor Portarum versus omnes Orbis partes fuisse. Unam ejusmodi imagunculam exhibuit celeberrimus *Montfalconius*: ubi pariter non plura, quam tria capita, videri queunt. Sunt autem illa omnia laureata. Ex quo etenim *Numa* denis *Romuli* Mensibus duos addiderat, *Januarium*, ac *Februarium*: primis cujuslibet anni *Calendis*, non modo *Jani* Statua, sed & *Sacerdotum* omnium capita, novis laureis adornabantur, canente *Ovidio*, de Anni novi ritibus:

Laurea Flaminiibus toto quæ persistit Anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ.

Neronis Numum cum *Jani* Templo, juxta omnes, *Harduino* solo contrario, jam parte III. anteriori tibi depinxi *Tab. VI. n. 13.* ibidemque latius tibi exposui, unde Romanis mos fuerit, hoc Tem-

XI.
TAB. III.
N. XIV.

XII.

Antiqui-
tat. Tom.
I. Tab.
VI. n. 19.

Templum exoriente Bello aperiendi , Pacis tempore claudendi.
PUBL. Probe recordor. Si tanta tu mihi de singulis Diis, egregie equidem sapiam: te vero labor magnopere fatigabit.

DIALOGUS XVII.

De Anno , itemque Saturno.

TULLIUS.

- I. **P** Inxi tibi Part. II. Tab. VI. n. 17. & ibidem Dial. XXIV. n. 7. exposui perelegantem Numum *Julii Severi* in quo Fœcunditas ejus, per adulationem, cum Fœcunditate Terræ toto Anno, comparatur. Tellus quippe ibidem humi residet, quæ lævo cubito innixa calatho, ex quo flos altus excrescit, dextram Orbi stellato imponit, per cujus convexum quatuor puellæ gradatim consistunt, Quatuor Anni tempora denotantes. Numus porro Tabulæ meæ III. decimus quintus TAB. III. N. XV. has easdem quaternas Anni Partes totidem pueris exultantibus redhibet: quem tu plenius recenseas. *PUBL.* Primus eorum, Veris genius, calathum florum in capite gestat: alter, Aestatis nuncius, falcem longam gramineam sustinet: tertius, index Autumni, cyathum gestat falernum: quartus demum, sub vestibus cum Hyeme frigans, quasi venator, baculo feram trajectam super humerum deportat. Supra, & infra scribitur: FELICIA TEMPORA.
- II. *TULL.* *Hadriani* est hic Numus, pingiturque in Elect. R. N. Tab. I. n. 3. Cui parem ferme, sed *Antonini Pii*, exhibuit *Cl. Patinus* p. 173. Ibi secundus puer, pro falce longa graminea, messoriam brevem habet: tertius, poculi loco, catinum cum frugibus. Epigraphe nulla, præter infra: COS. III. Exstat